Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
MORBIS SCROTI

Quam

Volente Numine Propitio

Conſenſu

Gratioſiſſimæ

Facultatis Medicæ

in

Inclyta Argentoratenſium Vniverſitate

Pro

Impetrandis Summis in Arte Medica

Honoribus

SOLENNI Eruditorum Disquiſitioni

ſubjiciet

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HÆNEL,

Schneberga - Miſnicus.

Ad d. XIII. *Menſ. Martii. M DCC XXIII.*

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

32

NOBILISSIMO & PRÆCELLENTI

M. CHRIST. FRID. HÆNEL,

Medicinæ Candidato Digniſſimo,

Fautori & Convictori hactenus ſuo Æſtumatiſſimo,

JOANNES SALZMANN, D.
h. t. Ord. Med. Decanus.

INter alia numero haud pauca, quæ Dogmaticæ Medicinæ Conditor atque Parens Hippocrates velut è tripode dicta nobis in monumentis ſuis reliquit, non infimum obtinere locum arbitror illud, quod lib. de Sterilib. Medicinæ Sacris initiato inculcat; dum, πειρῶ, inquit, φυσικὸς εἶναι, conare, ut Phyſicus ſis; non obſcure eo ipſo docens, quam neceſſaria pariter ac utilis Medico tum rerum naturalium Scientia in genere, tum Naturæ potiſſimum Hominis, et Corporis humani cogni-

tio ſit. Quod ipſum uti inconcuſſæ veritatis eſſe cenſemus; ita nos à ſcopo haud aberrare autumamus, ſi mutatis paululum verbis cuilibet, qui feliciter aliquando Medicinam facere cupit, acclamemus, Conare, ut Chirurgus ſis. Id enim à mente Coi tanto minus alienum eſſe exiſtimamus, quo luculentiora apud antiquitatem veſtigia hinc inde proſtant, non modo ante Hippocratis ætatem, cum ars ſalutaris velut in incunabulis adhuc erat, ſed & ipſo ejus ævo non minus ac poſteris temporibus, Medicinam vel magis Chirurgicam vel ſaltem feliciſsimo cum Chirurgia connubio junctam fuiſſe, ejusque exercitium non tam in ordinationibus Medicis, quam operationibus Chirurgicis antiquitus ſubſtitiſſe. Perpetuus hic Medicinæ & Chirurgiæ nexus multis è vetuſtate petitis documentis demonſtrari poſſet, poſſet etiam ex mente quorundam oſtendi, mutilum eſſe Illius corpus per Chirurgiam & Pharmaciam poſtliminio revocandas reſarciendum, niſi alii jam hoc labore perdigne defuncti eſſent. Quæ tamen eo intellecta non volumus, ac ſi hodienum, uti olim Medici munus eſſe autumaremus, herbas, *ut Cl. Salamaſii verbis proleg. libr. de homon. Hyl. Jatric. utamur*, legere, ſuccum ex his parare,

ægris

ægris propinare, vulnera deligare, ſanguinem herbis impoſitis ſiſtere, urere, ſecare &c. *hoc ſolum ſtabilitum imus, Chirurgiam potiſſimum Medicam Practico Clinico probe perſpectam atque cognitam eſſe debere, neque meo quidem judicio male facere illum, qui manuali quoque operationi manum admovere diſcat. Illud* TIBI NOBILISSIME DN. CANDIDATE, *toto illo tempore, quo hic commoratus es, curæ cordique maxime fuiſſe norunt, quicunque TE norunt; Quippe qui contentus non eras in Celeberrima Fridericiana ſingularem in omnibus Medicinæ partibus induſtriam adhibuiſſe, præ aliis ſolida & ad genuinam Praxin ducentia artis principia hauſiſſe, rei Chirurgicæ multum TE hic dediſti, adeoque ſcientiam illam Tuam, qua jam inſtructus fueras, non parum amplificaſti, tum cum artis peritis jugiter converſando, tum etiam Xenodochia, quæ hic loci ſunt, maxime Regium indefeſſe viſitando, eum in finem, ut & Chirurgicam medendi methodum addiſceres, & caſus qui occurrere rariores obſervares. In quo ſtadio eo feliciores feciſti progreſſus, quo magis fundamentis Anatomicis imbutus adjutusque es. Proinde quivis facile intelligit,*

git, quamobrem præſenti pro Diſſertatione, ut vocant Inaugurali Thema Chirurgicum eligere malueris, nempe ut TE non minus externorum quam internorum corporis affectuum theoriam noſſe Erudito Orbi monſtrares. In quo labore ita verſatus es, ut publico utique dignus ſis elogio. Non enim ſæpius recocta apponis, ſed rariores de rarioribus morbis obſervationes & annotata in lucem emittis, quæ in ſcriptis non facile leguntur. Vti autem nullus dubito, quin egregios, quos feciſti, profectus, atque in nupero examine oſtendiſti, in conflictu diſputatorio toti conſeſſui comprobaturus, ſcriptumque docto à TE calamo exaratum cum applauſu defenſurus ſis, ita TE hiſce inſtructum præſidiis eximium Chirurgo-Medicum aliquando futurum haud vane auguror. Premes eo ipſo veſtigia duorum ſanguine TIBI junctorum Naturæ Myſtarum, qui Medicinam apud Vos magna cum felicitate faciunt. Hiſce vale, atque DEO Duce & comite ſcientia rem TVAM in ægrorum commodum TVIque Nominis famam bene gere, artemque noſtram exorna. Perſcr. Argentorati prid. Non. Mart. cIↄ Iↄcc XXIII.

Præfatio.

MAchinam humanam ob mixtionem, ex qua conflata eſt & conſtructa omnium eſſe fragiliſſimam, nemo qui principia ejus paulo ſolertius indagatus eſt & rimatus, ibit inficias. Quo vero eadem eſt fragilior, eo magis veneramur & ob ſtupeſcimus ſacro quodam horrore infinitam ſapientiſſimi Architecti ſapientiam qui effecit, ut ea non ad annum, ſed quod mirandum! ad ſæculum ſæpe usque perduraret. Nimis longum neque etiam hujus loci foret fuſius hæc proſequi, ſufficiat breviter hæc attigiſſe & mihi aliisque occaſionem ſuppeditaſſe in abſtruſſimum hocce arcanum

ſolide & ſollicite inquirendi. Verum enim vero, quanquam ſumma Conditoris pru. dentia effectum dederat, ut materiæ perpetuo, liceat ita loqui, odio dſſidentes nihilo tamen minus ſuaviſſime inter ſe concinerent & conſpirarent, brevi tamen mortalium periiſſet genus, niſi immenſa ſagaciſſimi creatoris benignitas eidem machinæ organa quædam addidiſſet, quæ ad propagandam ſobolem apta exiſterent commodaque. Aſt! nec hæc ſufficiebant, ad genus mortalium, ſit venia verbo, immortale reddendum. Ingens illud deſiderium, inſatiabilis illa, non impuram ſed caſtam & ſanctam quandam puta, cupido, quam hominum animis Creator inflavit, ſibi ſimile procreandi, ſenſus demum, quibus organa huic actui ſacrata gaudent, exquiſitiſſimus dulciſſimusq; neceſſario accedere debebant. Hæc ipſa ſunt quæ nos quaſi ab interitu vindicant, hæc ſunt quæ nos quaſi jam mortuos reſuſcitant, & in liberis no-

ſtris

ſtris reviviſcere faciunt. Non dubito, quem mihi cunque ſubſcripturum eſſe aſſerenti hoc ipſum deſiderium ſumme fuiſſe neceſſarium, ſi paulo accuratius perpenderit incommoda innumera quæ ut individui comites liberorum procreationem & educationem comitantur, quibus nemo, niſi ſuaviſſima dulcedine allectus, ſe facile expoſuerit, qua in re prolixus admodum eſt Laurentius Cap. VII. Hiſtor. Anat. Hum. Corporis, ejusque initio, quem B. L. ſi placet, evolvat. Sed ſicut hæc ipſa organa ſenſu gaudent quodam, quem merito gratiſſimum acceptiſſimumque appellaveris, ita etiam morbo quodam correpta & corrupta atrociſſimos dolores & diriſſimos cruciatus pariunt, iis præſertim, qui laxatis vitiorum habenis cœco impetu in omne voluptatum genus brutorum inſtar ruunt, iisque ſe totos conſtringendos tradunt. Mihi jam propoſitum eſt aliquam horum morborum partem exhibere acturo de

Morbis Scroti, id quod dum facio Summum Numen ſupplex veneror, ut hiſce meis conatibus felices adſpiret ſucceſſus, a te vero, B. L. ut æquum de his meditationibus feras judicium humaniſſime efflagito.

Caput I.

ANntequam ad ipſam tractationem Pathologicam accedam mearum eſſe partium puto brevem quandam delineationem organorum affectorum præmittere, quo cognito recto & obliquum dignoſci, ſymptomata facilius & felicius enucleari, juſta prognoſis addi, tandemque ſalutaris medela afferri poſſit. Diſtribuntur autem communi Anatomicorum conſenſu partes genitales in ſemen præparantes, aſſervantes tandemque ſuo tempore excernentes, de prioribus maxime hic mihi ſermo erit, quippe magis ad ſcopum præſentem facientibus. Sunt ad illas potiſſimum referendi teſticuli, qui variis involucris, aliis magis externis, aliis magis internis veſtiti & muniti ſunt, quorum præcipuum ſcrotum exiſtit. Deſcribitur ſcrotum, quod ſit burſula plurimis plicis & rugis ſulcata, conſtans ex cutitula, cute, pauca pinguedine & membrana muſculoſa dartus dicta, interjacente tunica celluloſa, ſutura & ſepto diſtincta, varii generis vaſis prædita, teſticulo pro involucro inſerviens. Cuticula

cula & cutis quæ hic tenuiſſima ſcroto cum pene communis eſt, ſicuti etiam tunica cellulosa, qua inflata etiam penis inflatur, probante id Ruyſchio, unde etiam phænomenon illud explicat, quo ſæpe in cadaveribus poſt magnam ſtragem Syrio ardente factam penes erecti conſpiciuntur, vide Theſ. ejus X. pag. 41. & ſeqq. Major pinguedinis copia ſcroto ideo denegata videtur, quo facilius illud corrugari queat, quanquam in ſubjectis obeſis ſatis magnam quantitatem ejusdem ſe obſervaſſe in ſcroti parte ſuperiori teſtetur Ruyſchius Epiſt. Problem I. De ipſa tunica dartus notandum, quod vera exiſtat expanſio muſculoſa, non inepte panniculus carnoſus dicta, unde etiam ejus auxilio ſcrotum maxime corrugatur, fibris conſtat ſumme elaſticis, quod inuſitata ejus moles in quam ſæpe extenditur ſatis ſuperque dat comprobatum. Eſt proprie nil aliud quam continuatio ligamenti oſſa pubis connectentis & penis ſuſpenſorii, de qua re plura legi poſſunt in Morgagni Adverſ. Anat. I. p. 20. Sutura, qua ſcrotum externe dividitur, exacte deſcripta, & depicta a Ruyſchio in Epiſt. Problem. I. quæ ob vaſa copioſa probe notanda, uti id jam monuit Verheyenius. Septum de quo magnæ inter Ruyſchium & Rauium Celeberrimos noſtri Sæculi Anatomicos lites ortæ ſunt, nil aliud eſt, quam duplicatura tunicæ dartus, duos quaſi ſacculos peculiares formans, eodem plane modo ac pleura mediaſtinum, quorum ſiniſter ſemper capacior dextro, ſicuti etiam ipſe teſticulus non ſolum major dextro ſed etiam altius in hoc latere deſcendit, cumque teſticuli ipſi ſepto ſint adnati, impedit illud, quo

minus nimium deſcendant & in coitu lædantur. De ipſo ſepto Scroti, quodque jam veteribus cognitum fuerit pariter videri poteſt Morgagnus l. c. ubi multis locis ex antiquioribus adductis probat id longo abhinc tempore cognitum fuiſſe, id quod etiam fecit Rauius in Epiſtola de Inventoribus ſepti Scroti. Vaſa ſanguifera a pudendis quæ ſoboles ſunt hypogaſtricarum proveniunt, & maxima in copia utrumque ſepti latus perreptantia inferius circa ſuturam colliguntur. De ipſis ſcroti vaſis videatur Ruyſchii Epiſt Probl. II. Nervi ex oſſe ſacro ſatis copioſi illuc deferuntur ſenſum exquiſſitimum ſcroto largientes, uti etiam a plexu Meſenterii inferiore, qui in pelvim deſcendens veſicæ, inteſtino recto ipſisque partibus genitalibus ramulos impertitur, unde etiam magnus harum partium cum ſuperioribus conſenſus hinc Hippocrates: teſtis intumeſcens facit aſthma.

§. II.

Inter involucra interna primus nominari meretur muſculus cremaſter ſive Levator teſticuli, alias etiam tunica erythroides qui ab ipſo ligamento oſſis pubis oritur. Fibræ ejusdem carneæ & muſculares nonniſi medium teſticuli ambiunt reliquum vero ſaltem tendo ejusdem, ſicuti etiam latitudine trium vel quatuor digitorum funiculum vaſorum ſpermaticorum ambit ſuperius acutior inferius latior factus, cujus officium eſt teſticulum ſuſpendere & in congreſſu venereo ſurſum trahere, ne comprimatur vel contundatur. Teſticulum porro involvit tunica quædam dicta vaginalis, ſeu elytroides quia inſtar vaginæ vaſa præparantia teſtesque in ſe recondit: nil

aliud

aliud eſt quam productio exterioris peritonæi lamellæ, quæ vaſa ſpermatica ad teſticulum usque comitatur, atque ubi ad paraſtatas pervenit per fibras copioſas ipſis ſe annectendo clauſtrum aliquod ſibi format, quod omnem teſticulo cum abdomine communicationem intercipit. Inter hanc & albugineam reperitur humor quidam ſimilis illi pericardii, ſed exigua admodum copia. Tertia demum tunica teſticulum ambiens eique figuram præbens albuginea dicitur, a colore quo gaudet, admodum hæc eſt robuſta, extus lævis, intus vero aſpera, quæ fibris ligamentoſis tubulis teſticuli firmiter adhæret, acutiſſimi eſt ſenſus ob copiam nervorum, qua ſcatet. Inſeruntur etiam parti hujus tunicæ elatiori vaſa ſanguinea & lymphatica quæ poſtea ad interiora teſtium penetrant.

§. III

De vehimur nunc ad teſticulorum deſcriptionem, qui ſecundum recentiores ſunt congeries multorum eorundemque exiliſſimorum vaſculorum circa axin per figuras circulares a medio verſus extrema utrinque excurrentium in plures lobos diſpoſitorum, interjectis, ne confundantur, ſepimentis, in quibus a ſanguine per arterias advecto & venas iterum abducendo ſemen ſecernitur. Veteres teſtium ſubſtantiam, uti cerebri, medullarem eſſe aſſerebant, poſteri glanduloſam & recentiores vaſculoſam eam ſtatuunt. Ruyſchius illos pro arteriarum continuatione habet, Mynicks autem a tunicæ albugineæ glandulis eos deducit, Nonnulli & vaſculoſos & glanduloſos eosdem eſſe contendunt, & hæ glandulæ ſunt forſan illa corpora

pora, quæ Dn. Mery pro ovulis habet in Hiſt. Acad. Reg. Scient 1709. p. 33. Ipſa hæc lis facile componi poſſe videtur dicendo, & glandulas ex meris vaſculis conſtructas eſſe, ut ita tam glanduloſi quam vaſculoſi ſtatui poſſint teſtes. Bellinus experimento partim, partim calculo evicit in Opuſculis Anatomicis vaſcula illa ad trecentarum ulnarum Florentinarum longitudinem poſſe extendi, quod experimentum optime inſtituitur teſticulo prius in aceto macerato vel in cane laſciviente, qui veſiculis deſtitutus eſt ſeminalibus. Centrum, a quo vaſcula pergunt verſus exteriora corpus Highmori & radix epididymidis appellatur, in quo cavitas pro ſemine recipiendo, quæ, a Leali magna, ab Highmoro tamen parva & obſcura ſtatuitur, ſuffragante ultimo experienita. Ordinaria Naturæ lege homo duobus dotatus eſt teſticulis, quanquam & monorchidum & triorchidum exempla plura proſtent. Quam maxime notandum illud, quod interdum teſtieuli usque ad pubertatis annos in abdomine deliteſcant, quo demum tempore ſe exſerunt, unde nonnulli monent probe cavendum, ne iidem prorumpentes pro bubonocele habeantur. Plura hac de re in unum collecta videre licet in Jo. Jac. Mangeti Theatr. Anat. Libr. II. P. II. Cap. I. Vaſa teſticulorū ſanguifera, primo nempe arteriæ oriuntur ex Aortæ parte antica anguſto valde principio, parvæ ſunt & exiliores quam ipſa teſticulorum magnitudo & in iisdem perpetranda ſecretio id efflagitare videbatur. Notatu dignum, maximum circa has, uti etiam circa venas & vaſa emulgentia inveniri naturæ luſum, ſæpe easdem duplices vidit in utroque latere

Vir

Vir Excell. Dn. D. Saltzmannus Præceptor ſumme a me Colendus, interdum demum ex iliacis propullulare conſpiciuntur, hinc Graafius omnes illos nugari vult, qui eas deeſſe nonnunquam dicunt. Venæ, ſtricte & ad circulationis leges loquendo, ex teſte egredientes in dorſo ejusdem formant corpus Pampiniforme, ita appellatum, quia ob varios circinnos, quos venæ formant, vitium pampinos refert. Nil vero eſt aliud quam complexus venarum innumerarum miro & tortuoſo flexu rete quaſi conficientium, quæ tandem in unam venam majorem abeunt in utroque latere, quarum ſiniſtra emulgenti, dextra Venæ Cavæ trunco inoſculatur. Feruntur hæc vaſa in ipſo abdomine inter duplicaturam peritonæi ſupra muſculum pſoas & ureteres decurrentia, donec ad annulos pervenerunt, ubi ab exteriore peritonæi lamella inveſtita prope ſaccum alterum, qui ab interiore lamella formatur & in priori continetur ſimulque vaſa aliquo modo obtegere videtur per annulum, ut plerorumque eſt opinio, primo tranverſi abdominis muſculi, dein per oblique adſcendentis & tandem deſcendentis in ipſum ſcrotum & ad teſticulum devehuntur. Obiter notare liceat, quod annulus muſculi transverſi, qui utplurimum membranaceus eſſe aſſeritur, ſæpe non inveniatur, muſculo transverſo non tam alte deſcendente, quod utrum non ſit ordinarium ulteriori experientiæ & reſervo & commendo. Ductus venarum ſupra dictus quanquam in ſtatu præternaturali ſanguini ſtagnanti facile locum concedat, ſumme tamen fuit neceſſarius: Cum enim arteriæ ſanguinem adducentes ſint minimæ, venæ autem eundem abducen-

tes longe capaciores, eodem cito a teſticulis regrediente nulla in iisdem ſeminis ſecretio contingere potuiſſet, quod ita ut ne fieret ipſo ductu venarum tortuoſo & ſerpentino a ſapientiſſimo Creatore cautum. Simili artificio in aliis quoque organis ſecernendo humori cuidam dicatis uſus eſt, quod in hepate, in quo quam maxime languidus ſanguinis eſt circulus, clariſſime conſpicitur. Vaſa lymphatica in animalibus vivis copioſa ſeſe viſui offerunt, nervi vero ſic ſatis abundantes ex plexibus pelvis & lumbaribus teſtium ſubſtantiæ impertiuntur.

§. IV.

Vaſcula quæ ex teſtibus, potiſſimum è corpore Highmori emergunt, ſemen ſuum in paraſtatas ſeu epididymides deponunt, quæ conſtant ex ſubſtantia vaſculoſa, figuræ ſunt oblongæ, Cylindricæ, teſticulo velut erucæ ſuperincumbunt & tandem in vas ſic dictum deferens, ab utroque latere unum finiuntur. Commode dividuntur in caput, corpus & caudam. Caput ſunt ſex aut ſeptem vaſcula, corpus ipſi ductus anfractuoſi, & cauda vas deferens. Duplici cinguntur membrana, quippe non ſolum proceſſus peritonæi vaginalem teſtis conſtituens arctiſſime eam abit, & fibris robuſtis eidem ſe annectendo illis, quæ ex abdomine veniunt, viam ad teſticulum præcludit: Sed inveſtiuntur etiam a teſticulorum albuginea, per quam teſticulo adhærent. Vaſis plane gaudent iisdem, quibus teſticuli, arterioſis, venoſis, lymphaticis & nervis, quæ hic non repeto, verbo ſolum innuo, quod arteriæ ſpermaticæ ramus alter ad teſticulum, alter ad paraſtatam abeat. Structu-

ra paraſtatarum cum ab illa teſticuli plane non differat, quoq; uſus earum diverſus eſſe non poteſt, qui in eo conſiſtit, ut ſemen a ſanguine ſeparent, vel idem, quod a teſticulis allatum ulterius perficiant.

§. V.

Vaſa deferentia quæ ſemen ad veſiculas ſeminales promovent ſunt canales robuſti, calami ſcriptorii minoris craſſitie, partim in veſiculas ſeminales, partim in ipſam uretham ſemen ab epididymdibus acceptum deponentes. Oriuntur principio admodum flexuoſo inſtar varicis ab epididymidibus atque proceſſui peritonæi involuti in abdomen inſeruntur, ad collum veſicæ reflectuntur, tandemque, uti jam diximus tam in veſiculas quam in urethram hiant, oſculis inuretham hiantibus carunculæ adſtant, quæ quo minus ſemen ſtatim effluat, impediunt. Cavitas horum vaſorum pro diverſitate loci eſt diverſiſſima, ſiquidem in initio eorundem minima, mox amplior, iterum anguſtiſſima in fine, nil in urethram ſponte transmittens, qua in re ureteribus ſunt ſimilia hæc vaſa, ſicuti etiam hoc cum illis commune habent quod fibris gaudeant multum muſculoſis ad ſeminis motum præſertim ad ſuperiora promovendum, maxime in animalibus, quæ veſiculus deſtituuntur. Uſus eorum ex definitione patet. Quod cum veſiculis communicent vel ex eo clarum eſt, quod flatus iisdem immiſſus ſtatim ad illas abeat, easque, quod jucundum viſu, omnes ſimul ſemelque expandat.

§. VI.

Veſiculæ ſeminales ſunt partes membranaceæ & ſecundum deſcriptionem Lealis ſimile inteſti-

 nulis

nulis cæcis inter ſe invicem communicantibus, in varias cryptas & receſſus complicatæ, quæ parti inferiori veſicæ colli adhærent, officio, ſemen per aliquod temqus aſſervandi, tandemque excernendi funguntur. In canibus deſunt hæ veſiculæ, unde in congreſſu venereo diu cohærent beneficio excreſcentiæ ſpongioſæ in pene, quæ in coitu intumeſcit, tamque diu eos conjunctos detinet, donec ſufficiens ſeminis excretio fuerit facta. Conſtant ex fibris admodum robuſtis, quo valide ſe conſtringere atque ſemen in urethram cogere poſſint. Expellunt autem id per ductum duplicem in urethram duplici orificio hiantem, quæ orificia eminentia quadam, caput gallinaginis dicta, a ſe ſeparantur. Duplex illud diximus, ſecus ac Leal. *Epiſt. de part. ſem. in vir. confic. ad Dom. de Marchett.* placuit, qui ſaltem unum ductum unumque orificium, experientia & autopſia repugnante, admiſit. Morgagnus *Adverſ. Anatom.* tertium addit, quod interdum etiam reperitur. Diſtinctæ ſunt a ſe invicem veſiculæ ſeminales ſingulari ſapientiſſimi Creatoris providentia, ne læſa una ſterilitas ſequeretur, ſed altera adhuc officio ſuo defungeretur; Sæpe in Lithotomia præprimis ab Anatomiæ expertibus læduntur, ſicuti etiam a Gonorrhœa exulcerantur. Vaſa ſanguifera ingenti in copia adſunt, quæ ab hypogaſtricis pullulant, atque cum illis veſicæ & inteſtini recti, nempe hæmorrhoidalibus externis communicant. Nervi non minus hic luxuriant, qui ſupra nominatorum plexuum peluis propagines ſunt, ſicuti etiam inferiorum oſſis ſacri ramorum.

§. VII.

§. VII.

Proſtatæ ſeu adſtites glandoſi tandem ſunt corpus quoddam oblongo globoſum vel potius cordi forme mox ante veſicæ collum prope veſiculas ſeminales ſitum, humorem quendam ſpiſſum, glutinoſum inſtar albuminis ovi ſeparans. Ex ſubſtantia partim glandulosa conſtare plerumq; ſtatuuntur, quæ tamen, niſi hydatides pro glandulis velis accipere, vix ac ne vix quidem apparet, ſpongioſam meliori jure dixeris, partim tubuloſa, quæ formatur à pluribus vaſis ſecretoriis, humorem ſecretum pariter in urethram circa caput gallinaginis eructantibus. Hæc probe ſunt diſcernenda a com̃unibus veſicularum & vaſorum deferentium ductibus per medium hujus corporis tranſeuntibus. Numerus eorum admodum eſt incertus, in homine plerumque ad denarium usque excurrit, in canibus vero ultra nonaginta numeravit Graafius. Nullam plane inter ſe communicationem habent, quare uno inflato, alter non intumeſcit. Præter majores proſtatas adhuc tres minores deprehenduntur piſum magnitudine vix æquantes, majoribus proxime adjacent, & nuper a Celeberrimo Angliæ AnatomicoGuil. Covvpero in deſcript. glandul. nuper detect. & duct. excret. detectæ ſunt, ab eoq; glandulæ mucoſæ dictæ, quarum, uti & majorum, vices ſunt humorem quendam glutinoſum pro involucro ſeminis ſpirituoſioris inſervientem ſecernere & in urethram exprimere. Morgagnus de his plura habet in Adverſ. IV. interdum tam parva ſunt, ut ea vel difficillime vel plane uon inveniri poſſint. Hunc in fi-

nem, quo ſcilicet ſecretio eo melius perpetretur membrana firma validaque cinguntur quæ multas fibras muſculares a ſphinctere veſicæ accipit, quæque non ſolum exteriora ambit, ſed etiam ad interiora penetrat ſicque comprimendo ſe & excretionem adjuvat, qua de re legi meretur Jo. Baptiſta Bianchi. Vaſa ſanguifera uti etiam nervi proſtatis cum veſiculis com̃unia exiſtunt quæ, ne tua B. L. patientia abutar, denuo hic recenſere ſuperſedeo. Et hæc ſunt, quæ inpræſentiarum præmittere voluimus debuimusque, anatomica, quo dein in pathologicis eo facilius ſymptomatum explicationem dare poſſimus. Addi his potuiſſet deſcriptio membri virilis, ſed cum ad enucleationem phænomenorum morbis hic propoſitis obtingentium haud inſerviat, eam alii relinquendo in dictis acquieſcimus.

CAP. II.

PErluſtrata nun breviter partium ſtructura, quantum eam ad explicationem phænomenorum præcipuorum neceſſariam eſſe cenſui, ad tractationem morborum accingor. In cujus limine ſtatim monendum, me de omnibus Scroti morbis, quorſum illos etiam teſticulorum refero eſſe acturum, ſi ſaltem hernias ſcrotales veras, ab inteſtinorum maxime deſcenſu factas excipias, de his enim ſermo mihi hic non erit, quippe quæ peculiarem plane illuſtrationem merentur, quæ tam anguſtis pagellis includi haud potuiſſet. Pertinent autem ad hoſce morbos puſtulæ ardentiſſimæ ſcroto obtingentes cum excoriatione & exulceratione, Scroti inflammatio atque

ejusdem Sphacelus, Teſticulorum Inflammatio eamque, ſæpe ſubſequens Abſceſſus qui nonnullis hernia humoralis dicitur, Varicocele, Cirſocele, Sarcocele, Hydrocele & Pnevmatocele. Hi ſunt morbi, quos in compendio hic exhibebimus, incipiendo a ſignis eorundem diagnoſticis.

§. II.

Puſtulæ uti & excoratio cum exulceratione Scroti ſignis diagnoſticis haud indigent, quippe quæ ſemetipſas produnt dolore maxime acutiſſimo, quo partem affligunt. Scroti inflammati ſigna ſunt quoque admodum evidentia, quæ conſiſtunt in dolore pulſui exacte reſpondente tumore & rubore ipſius partis affectæ, quibus febris comes perpetua inflammationum mox ſeſe aſſociat, quod tanto fit citius, quo Scrotum exquiſitiori gaudere ſenſu dixi. Inflammationem in gangrænam abituram prædicunt tumor inſignis & quam maxime durus, color antea rubicundus dilute, nunc ſaturate & obſcure rubicundus vel potius ſubnigricans. Ardor, dolor multum exacerbantur, febris accenditur, anxietates præcodiorum adſunt maximæ. Ipſius tandem ſphaceli præſentiam annunciant caloris & coloris primo mutatio: Calor enim mutatur in frigus, color vero in lividum, cœrulum, nigrum, vel etiam flavum vel etiam albicantem tranſit, ſcrotum fit vel tumidum, vel etiam corrugatur, dolor non ſolum ceſſat, ſed etiam plane nullus adeſt ſenſus. Scarificatum non ſanguinem ſed ichorem ſanioſum fundit, &, ubi ſphacelus ingraveſcit, fœtorem putridum de ſe ſpargit Scrotum.

§. III.

§ III.

Signa inflammationis teſticuli eadem ſunt quæ Scroti inflammati, ſola hac intercedente differentia, quod hæc viſu magis explorari queat: Ne itaque crambem bis coctam apponendo Lectori ſtomachum moveam, ea non repeto, hoc unicum ſaltem addo, quod in inflammatione teſticuli ob ejusdem tumorem ſcrotum ita extenuetur & extendatur, ut omnes rugæ, quibus diſtinctum illud eſſe dixi, evaneſcant, quod in inflammatione Scroti non deprehenditur. Dolor ubi pulſui non amplius correſpondet, atque in pulſatilem & punctorium mutatur, febris aliquo modo remittit & teſticulus preſſus duobus digitis, uti in abſceſſuum exploratione fieri ſolet, ſenſum materiæ in eodem fluctuantis exhibet, tunc abſceſſum in eo formatum & herniam humoralem adeſſe judicandum eſt.

§. IV.

Varicocele proprie dicitur; quando vaſa Scroti, uti etiam ſpermatica inſtar varicum diſtentaſunt a ſanguine in iisdem ſtagnante. Exploratur illa optime viſu tactuque, vix enim aliqua ſymptomata conjuncta habet moleſta, ubi ab interna originem duxit cauſa; ubi vero a cauſa externa, violentam puta, producta fuit, tunc dolorem tumoremque Scroti & teſticuli interdum habet pediſſequos. Sicuti varicole dicitur vaſorum Scroti & teſticulorum tumor a ſanguine languidius per eadem progrediente factus: ita Cirſocele ſalutatur major diſtenſio vaſorum tantum ſpermaticorum, non a ſanguine in iisdem ſtagnante, ſed potius extra motum plane couſtituto,

non

non quidem omni, magna tamen ejus parte. Signa diagnoſtica viſus tactusque nobis ſuppeditant, quibus mediantibus vaſa jam dicta non ſolum tumida & inflata, ſed, ut a Varicocele diſtinguatur, dura etiam & ſcirrhoſa deprehenduntur.

§. V.

Per Sarcocelen intelligimus tumorem teſticulo obtingentem, vel quia ipſius corpus extenſum atque mole auctum, vel quia maſſa quædam carnoſa, mollis & ſpongioſa eidem adhæret. Dignoſcitur ex tumore teſticuli duro ſic ſatis, inæquali atque aſpero, dolor adeſt nullus, niſi in regione lumbari ob tractionem vaſorum ſpermaticorum a teſticulo factam, quibus Cirſocele & Varicocele ſæpe junguntur.

§. VI.

Hydroceles diverſæ dantur ſpecies, quarum ſigna diagnoſtica diverſiſſima plane exiſtunt. Sic datur hydrocele quæ Scroti cutim & tunicam darton ſaltem occupat, alia eſt ubi aqua ſaltem ad ſupra nominatum tunicæ vaginalis clauſtrum penetravit, alia, ubi ad ipſum teſtem pervenit, & tandem adhuc alia, ubi aquæ peculiari ſacco incluſæ ſunt. Prior dignoſcitur ex tumore ipſius Scroti, qui tamen non, uti in Sarcocele, inæqualis, ſed quam maxime æqualis & lævis, ubi in loco præſertim obſcuro & manu interpoſita candela Scroto admovetur tranſparet inſtar lagenæ aqua repletæ. Penis, tantum abeſt ut imminuatur, ut potius moles ejusdem multum augeatur, aquis eum irrigantibus, & ubi malum ingraveſcit, mirum ſæpe tenditur, inflatur, in monſtroſam magnitudinem augeſcit, doloresque ſuffert crudeliſ-

ſimos. Ratio horum ſymptomatum facile divinari poteſt, ſiquidem ex ſuperiori capite conſtat maximam Scroto cum pene intercedere comunicationem mediante cute tunicaque celluloſa, ut ita aliter fieri non poſſit, quin aquæ intra cutim, tunicam celluloſam & darton ſtagnantes ad penim ſimul penetrent. Reliquarum hydroceles ſpecierum ſigna longe a modo recenſitis differunt; tumor quippe neque lævis ita & æqualis, neque etiam Scrotum ita tenſum, quam in illa, rugis quibusdam reſtantibus, licet hoc magis intellectum velim de ſecunda & tertia ſpecie, quam de ultima, in qua tumor ſæpe tantus ut tertium quaſi teſticulum mentiatur, qui Scrotum pariter multum diſtendit. Id quam maxime notandum, penem in hiſce hydroceles ſpeciebus neutiquam, uti in priori, majorem fieri, ſed potius, quo magis tumor invaleſcit, eo quoque magis eundem imminui & in abdomen quaſi retrahi, ut ſæpe vix amplius conſpiciatur, cujus rei aliquot exempla videre licuit. Hoc mane, quo hæc ſcribo inſtituta fuit paracentheſis abdominis in Noſodochio Argentinenſi in duobus ſubjectis maſculinis, quorum utrumque hydrocele ſimul laborabat, hac ſolum differentia, quod Scrotum in altero etiam externe aquis repletum & penis ita diſtentus eſſet, ut plane penis figuram non amplius referret, ſed veſicæ aqua repletæ ſimilis eſſet, in altero vero aquæ magis in ipſo exiſterent, quod etiam magis erat corrugatum, penis quoque minimus & in ſe contractus appareret.

§. VII.

§. VII.

Pnevmatocele an detur a multis plane ambigitur, in quorum numero etiam eſt Cl. Heiſterus qui in Scholio addito Chirurgiæ Dioniſii ejus exiſtentiam in dubium vocare videtur, quamvis a multis atque iis exercitatis Practicis ejus exiſtentia, præſertim apud infantes, aſſeratur. Signa ſunt tumor Scroti, qui a digito preſſus facile cedit, ſed cum murmure, ſubtracto vero digito ſtatim priſtinam formam induit, ſecus ac in hydrocele, ubi tumor preſſus aliquandiu foveam quandam, ſicuti in tumoribus œdematoſis quoque fieri ſolet, relinquit.

CAP. III.

ORdo jam rerum poſtulat, ut, traditis ſignis morborum diagnoſticis, ad eorum cauſas progrediar. Puſtulæ itaque illæ, quas ſæpe Scrotum obſidere novimus, nullam ferme aliam agnoſcunt cauſam quam luem veneream, hæc enim uti variis excreſcentiis ſeſe manifeſtat, quales ſunt exulcerationes in glande & præputio, verrucæ, condylomata, ficus & mariſci in ano, exoſtoſes in oſſibus, ita non raro quoque ex præſentia harum puſtularum, junctis reliquis circumſtantiis cognoſcitur. Accuſant interdum alii ſanguinem ſcorbuticum, ſed, ſi verum dicere licet, ſub larva Scorbuti nil aliud quam lues venerea abſcondita latet, quamvis non in totum negemus Scorbutum interdum puſtulas has producere poſſe.

§. II.

Inflammatio Scroti a cauſa interna rariſſime contingit, ſed tantum non ſemper cauſam externam eamq; violentam agnoſcit, ut ſunt ictus, lapſus, contuſio, quæ omnia tonum fibrarum labefactando, vel etiam plane vaſa quædam dilacerando ſtaſi & extravaſationi ſanguinis locum præbere & ſic inflammationem cauſſari non tam poſſunt, quam re vera ſolent. Gangræna & Sphacelus duas potiſſimum ob rationes inflammationem ſequitur: Omnes enim illæ partes, quæ copioſo ſanguine gaudent, in quibus tamen ſanguinis languidior eſt & hebetior circulus ſphacelo quam maxime ſunt obnoxiæ, quia in iisdem ſanguis non ſolum facile ſtagnat ſtaſique corripitur, ſed etiam, quia, eodem ſemel extra motum conſtituto, difficillime iterum diſcuti poteſt, ob impulſum ſanguinis imbecilliorem, qui verum diſcuſſionis inſtrumentum exiſtit. Accedit & hoc tanquam palmarium, quod ob ſenſum Scroti acutiſſimum tenerrimumque medicamenta generoſiora, inflammationibus extinguendis accommodata plane non applicari queant, ſed quidquid hic peragi poteſt, demulcentibus ſit perpetrandum, quæ tonum fibrarum magis magisque relaxando ulteriori ſanguinis ſtaſi viam aperiunt. Punctura Scroti, præſertim ubi illud eryſipelate affectum, plus vice ſimplici ſphacelum procreaſſe fuit obſervata. A cauſa interna ſi originem trahit, plerumque tanquam ſymptoma luis venereæ eſt conſideranda inflammatio, id quod maxime quoque de teſticuli inflammatione deprædicari poteſt.

§ III.

§. III.

De hac itaque inflammatione pariter ac de ſupra pertractata dico atque aſſero, quod raro a cauſa indigena producatur, ſæpe vero a violenta externa: Vbi vero ab interna, tunc a fermento venereo intra corpus latitante oritur. Sic v. gr. bubones diſcutientibus & reſolventibus tractati, vel quod notandum, non ſatis ſuppurantes eandem ſæpe gignunt. Quid vero frequentius, cauſam ſi externam exceperis, eam producit quam gonorrhœa vel a fortioribus purgantibus & aperitivis calidioribus, vel etiam ab adſtringentibus ſuppreſſa, vel etiam a febre quadam, maxime intermittente cohibita? Niſi enim benigna natura materiam denuo per bubones, idque ſalutari conſilio expellit, ipſum venenum in corpore latitans ſi non ipſam luem veneream, tamen ſæpe inflam̃ationem teſticuli, imo ſæpe Varicocelem & Cirſocelen progenerat. Exemplũ tumoris teſticuli a gonorrhœa ſuppreſſa vide in Viri Excell. Frider. Hoffmanni Præcept. nunquam ſatis a me Colendi Medic. Conſult. P. III. p. 241. & ſeqq. alia vero praxis quotidiana ſuggerit. Quæ de gonorrhœa ſuppreſſa & inflammationem teſticuli producente hic dixi maxime de ea, quæ in veſiculis ſeminalibus vel in paraſtatis, non vero de illa, quæ in ipſa urethra ſedem habet, intellecta volo, quanquam eam non penitus excludam. Vt enim taceam arctiorem his cum teſticulo partibus intercedere connexionem, hoc tamen quam maxime accedit & inculcandum eſt, quod, niſi cautiſſimus ſit & verſatiſſimus medicus, facile eidem imponat hæc gonorrhœæ ſpecies, dum plerumque effluxus materiæ

eſt parcus admodum, vel etiam dolor exiguus vel plane nullus, quæ medicum ſeducere poſſunt, ut vel majorem effluxum materiæ procurare velit, atque ſtimulantia fortiora adhibeat, vel etiam adſtringentibus utatur, dum ſibi perſuadet, ſufficientem materiæ evacuationem & partium mundificationem factam eſſe. Maxime autem calidiora & diuretica in gonorrhœa uſurpata hanc inflammationem producunt, quæ non ſolum ſanguini orgaſmum inducunt ſed & ipſas partes ſtimulant, unde major fit affluxus ſanguinis ad partes, qui, cum per venas ſtatim regredi nequeat, ſtagnat, tandemque, novo ſemper accedente, in ſtaſin conjicitur. Ipſe penis a ſanguine vehementius ingruente tumefit & inflatur, quo facto materia, præcluſo eidem exitu, incarceratur, atque diutius in veſiculis vel etiam proſtatis hoſpitari cogitur. Quæ dum in veſiculis ſeminalibus ſtabulatur ſemini a teſticulis venienti obicem ponit, unde etiam vaſa deferentia intumeſcere conſpiciuntur. Impedito ſeminis motu per vaſa deferentia epididymides atque teſtes quoque inflantur, vaſa eosdem perreptantia ſanguifera comprimuntur, ſanguinis motus ſufflaminatur, unde tumor, dolor pulſui reſpondens, aliaque ſymptomata. Quilibet videt ultima hæc etiam ad adſtringentia vel fortiora purgantia applicari poſſe, quæ materiam vel intus detinendo, vel in humores quaſi revocando eundem effectum edere poſſunt.

§. IV.

Inflammatio, niſi diſcutiatur, abit vel in abſceſſum, vel etiam in Cirſo-Sarco-Hydrocelen, rariſſime

me in Sphacelum degenerat. Id enim in genere ſciendum & memoria tenendum partes glanduloſas, multisque vaſis lymphaticis præditas rariſſime ſphacelo corripi, quippe cui partes ſanguineæ, muſculoſæ potius obnoxiæ deprehenduntur, ſed inflammationes harum partium plerumque degenerant non tam in abſceſſus laudabiles, quam ulcera, quæ pro diverſa mixtione cum ſanguine vel manantia vel ſerpentia ſunt. Latus hic campus dicendi pateret, ſed cum Celeber. noſtri ſæculi Medicus Stahlius cui, præter hanc, innumeras in medicis veritates debemus, hæc fuſius hinc inde explicarit, ne Iliadem poſt Homerum ſcribere videar, illa hic ſicco pede tranſeo. Abit itaque teſticuli inflammatio ſæpe in abſceſſum, qui, niſi probe obſervetur ſtatim in ulcus mali moris migrat, pus ſanioſum atque ichoroſum fundens: Vbi vero particulæ aqueæ cum ſubtilioribus ſulphureis dilabuntur, reſtantibus terreſtribus & inertibus ſanguinis particulis Cirſocele & Sarcocele prioris generis procreatur, quæ tamen, impedito ſanguinis per teſticulos circulo, ſæpe eandem ſecundi generis producit, dum vaſa diſtenta facile lympham quandam tranſſudare ſinunt. Veritatem eorum, quæ in hac atq; antecedenti §. diximus utut quotidiana confirmet experientia, eam tamen quam maxime confirmat ſequens obſervatio a Dn. Lemaire, Viro, quem ob eximiam & profundam in Chirurgicis ſcientiam maximi æſtimo, mecum communicata: Miles quidam ab anno, & quod excurrebat, languidus & imbecillis deferebatur in Noſodochium, quod Argentorati eſt, Regium, cumque per tres circiter menſes ibidem commoratus eſſet, moriebatur. Conqueſtus

eſt

eſt de ſymptomatibus ſequentibus: Percipiebat ſcilicet dolorem in regione renum immanem, laborabat ſuppreſſione quadam urinæ, ſeu rectius dicendo, dyſuria, id quod eidem Leucophlegmatiam conciliaverat. Affligebatur dolore perpetuo eoque gravativo in abdomine, Scrotum quam maxime erat diſtentum, teſticuli multum excedebant magnitudinem ipſis ſolitam, epididymides & vaſa deferentia tumida erant, magis tamen in latere dextro quam ſiniſtro. Examinatus confitebatur ſe plures habuiſſe gonorrhœas quas ſupprimendas curaverat. Dn. Lemaire cum, demonſtraturus operationem Lithotomiæ, calculum in veſicam immittere vellet ipſam inveniebat parvam admodum & conſtrictam ita, ut nec operatio bene procederet, qua re incitatus corpus ſecabat, atque ſequentia notatu digna inveniebat: Ren dexter multum erat dilatatus, ſicuti & pelvis ejusdem, ureter digitum, ſi non magnitudine ſuperabat, tamen æquabat, totusque quantus urina erat repletus eum usque ad locum, ubi cum deferentibus connectitur, cui quaſi agglutinatus atque ita exſiccatus deprehendebatur, ut nullum amplius cum veſica haberet commercium. Ren ſiniſter minor erat dextro, ureter vaſi deferenti adhærebat & mediante cavitate exigua cum veſica adhuc communicabat, per quam etiam urina in eandem deferebatur. Æger cum obſervaret poſt ingeſtum potum dolores exacerbari, eundem ſibi omnem ſponte interdixit. Proſtatæ erant duræ & ſcirrhoſæ, veſiculæ ſeminales repletæ materia caſeoſa, dura, coloris flaveſcentis. Membranæ vaſorum deferentium craſſæ admodum erant, ipſa vaſa

multis

multis nodis diſtincta formatis a materia multum ſimili ei, quam in veſiculis ſeminalibus contentam fuiſſe dixi. Epididymides erant calloſæ quaſi, ordinario majores, variis in locis nodoſæ. Teſticuli tandem turgebant & aperti exhibebant materiam craſſam, viſcidam, atque candore eam, quæ in teſticulis continetur, ſuperantem. Hæc obſervatio ſecundum omnes circumſtantias facta præterquam quod ea quæ a me dicta ſunt comprobet, variis adhuc meditationibus inſtituendis locum dat, quæ veritatis eruendæ cupido cuique relinquo. Sed ut ne noſtra Theoria unica ſaltem obſervatione niti videatur, ex plurimis aliis priori hanc ſecundam ad latus ponimus: Ruſticus aliquis, qui antea aliquoties gonorrhœa laboraverat, quæ vero cohibita fuerat, ab uxore impotentiæ accuſatur, viſitatione partium externa inſtituta ſequentia fuerunt obſervata: alteruter teſticulorum tumebat tactusque dolore afficiebatur acerbiſſimo, id quod etiam erat in epididymidibus, vaſa deferentia ad magnitudinem digiti auricularis accedebant, vaſa Scroti & teſticulorum erant varicoſa. Erectio membri aderat, ipſa vero excretio ſeminis deficiebat.

§. IV.

Hydrocele uti diverſa, ita diverſiſſimas quoq; agnoſcit cauſas. Sæpe atque ſæpiſſime ſymptoma eſt Anaſarcæ & Aſcitis. In priori aquæ intra cutim muſculosque abdominis conſtitutæ facile deſcendunt, primamque utplurimum hydroceles ſpeciem producunt: In altera vero, nempe Aſcite aquæ intra abdomen contentæ per ſaccum ſeu proceſſum a peritonæi lamella ex-

terna formatum depluunt, & ubi ad epididymides pervenerunt, ob ſupra jam nominatum claustrum, ibidem ſubſiſtunt, ſicque teſticulum ſalvum adhuc relinquunt, donec tandem ingruente ſemper nova aquarum mole ad eundem penetrent, & ita ſecunda & tertia maxime generetur hydroceles ſpecies. Poſſunt etiam aquæ ad teſticulum deſcendere, id quod in antecedentibus omiſimus, per proceſſum & ſaccum ab interiore peritonæi lamella formatum quem ſupra in exteriore contentum dixi, quique adhuc a nemine, quantum ego quidem ſcio deſcriptus eſt, quamvis admodum ſit conſpicuus, & ad explicandam generationem bubonoceles plurimum inſerviat. Sæpe Hydrocele a Varicocele, ſæpe ab inflammatione teſticuli, ſæpe quoqne a Sarcocele & Cirſocele oritur. Cum enim omnibus hiſce in morbis circulus ſanguinis ſit impeditus, aliter fieri non poteſt, quam ut ſeroſitas a reliquis ſanguinem conſtituentibus particulis ſeparetur, quæ vel per vaſa tranſſudans vel nimia in copia ad vaſa lymphatica delata eadem nimium diſtendens vel ob teneritudinem, qua gaudent, disrumpens plane, hydrocelen producere ſolet. In ſubjectis Senilibus uti & infantilibus, præſertim quæ in hanc lucem edita hoc malo laborant, quorum haud exiguus eſt numerus, a ſolo languidiore ſanguinis motu dependet. Exempla parallela in medium produci innumera poſſent, quibus comprobatum darem, ſolum ſanguinem tarde progredientem hoc malum producere poſſe quæ tamen lubens omitto, cum ſpes me foveat pulcherrima, neminem, contradicendi quoque ſtudioſiſſimum, hæc in dubium vocaturum eſſe, qui perpendit,

dit, fœminas gravidas, ob compreſſionem vaſorum iliacorum a mole fœtus atque hinc impeditum ſanguinis a pedibus per vaſa cruralia refluxum, mox varicibus tumoribusque œdematoſis obnoxias eſſe. Tumores porro membrorum vel vulneratorum, vel luxatorum vel etiam fractorum a nimis forti faſciarum conſtrictione ſanguinique reditum ad cor prohibente luculentiſſimum hujus rei exhibent teſtimonium.

§. V.

Varicocele non minus a ſanguine lente procedente ac vaſa multum diſtendente dependet, unde etiam quam maxime infantibus ſenibusque obſervatur familiaris. Confert autem plurimum ad generationem hujus mali ſanguis quantitate & qualitate, ſpiſſitudine nimirum, peccans. Ex quo fit, ut plethorici, lauta & opipara utentes diæta, otio & vitæ ſedentariæ litantes hæmorrhagiis vel naturalibus potiſſimum hæmorrhoidali, vel artificialibus antea aſſueti, hypochondriaci, hancce varicoſam diſtenſionem vaſorum maxime experiantur. Notatu quoque dignum & in praxi ſcitu neceſſarium, quod Emplaſtrum ſaponatum Barbette regioni lumbari applicitum, vaſa Scroti teſticulique ejusdem lateris tumida reddat ipſumque teſticulum paulo ad ſuperiora trahat, qui tamen tumor, eodem inguinibus applicito, diſparet. Quæ hujus phœnomeni ſit ratio aliis, qui vel in inveniendis veris vel fingendis falſis rerum cauſis feliciores exercitatioresque ſunt, quam ego, relinquo explicandum.

§ VI.

Pnevmatocele quomodo generetur difficile admodum explicatu videtur, hoc tamen maxima gaudet probabilitate, quod a flatibus atq; aëre intra abdomen contentis & in Scrotum deſcendentibus oriatur. Hoc porro experientia ſolidior docuit, quod eſus flatulentorum, etiam ubi matres vel nutrices iisdem veſcantur, nec non ejulatus & vagitus infantum generationi hujus morbi multum patrocinentur.

CAP. IV.

Cum ex capite antecedenti, quæ horum morborū cauſſæ ſint, clare, ut puto, & dilucide pateſcat, nunc tanto facilius erit pro diverſa cauſarum ratione & vi vel bonum, vel malum eventum prænunciare. Vt itaque legibus ſemel cœpti ordinis ſatisfaciamus incipiendum nobis erit a puſtulis Scrotum occupantibus, de quibus cum conſtet, eas nil aliud quam productum luis venereæ eſſe, aſſerimus, quod, ſublata niſi prius illa, nec hæ eradicari queant, quæ prognoſis quoque ad excoriationem & exulcerationem quadrat. Omnia, cujus etiam cunque naturæ remedia externe adhibita, vel nullum ſolatium afferunt, vel etiam, ubi repellunt, malum exaſperant, cum ſalutari naturæ motui materiam e corpore eliminanti ſeſe opponant. Forſan hoc noſtrum aſſertum quibusdam videbitur peregrinum, putantibus vanum hoc eſſe monitum; ſed ſi in animum revocare volunt id quod obſervarunt, vel etiam audire illos

qui

qui quotidie ejusmodi ægrotos tractant, facile illos habebo conſentientes, quippe nil ſolemnius eſt, quam quod dolores, quibus antea ægri afficiebantur, immaniſſimi & crudeliſſimi, erumpentibus ulceribus evaneſcant, iisdem vero, non curato morbo primario, non curatis quidem, quocunque tamen modo occluſis, dolores mox redeant, quam rem ulcera per aliquod tempus geſtata, jam vero ſuppreſſa, uti & fonticuli ſatis illuſtrare poſſunt. Quamvis vero neutiquam aſſeram etiam cum hiſce puſtulis & exulcerationibus dolorem ceſſare, quippe in antecedentibus maximum eum ob teneritudinem loci eſſe affirmavi; hoc tamen notandum, quod in reliquis partibus mitior eſſe obſervetur, quodque non minus quam ulcera in aliis partibus obtingentia ubi oppreſſa fuerint in hoc pariter atque aliis morbis malum exaſperare & exacerbare ſoleant Neque etiam paucitas materiæ quæ excernitur, argumentum, quod ad deſtruendam hanc veritatem inſerviat, ſuppeditare poteſt, cum exercitatis conſtet Practicis, ſæpe unicum in glande ulcus, quod Galli chancre vocant, ubi incaute fuerit tractatum, luem veneream procreare, fermento venereo corpori ſe inſinuante.

§. II.

Inflammatio Scroti niſi probe & exacte obſervetur, dira ſymptomata habet conjuncta, deliria quippe & convulſiones non infrequentes ejus ſunt comites. Inflammatio denique omnium facillime in gangrænam & ſphacelum migrat, ob rationes jam ſupra allegatas, qui non ſolum totum cito Scrotum occupat,

 ſed

ſed non raro quoq; ab ipſo corpore ſeparat. Notari hoc loco velim, plura proſtare exempla Scrotorum denuo generatorum, de quo legi meretur Hildanus; ſicuti etiam memini Excell. Frider. Hoffmannum mentionem injeciſſe quorundam infantum, quibus Scrota penitus ablata ſingulari naturæ beneficio reſtituta fuerunt.

§. III.

Teſticuli inflammatio ſollicite quoque & caute eſt tractanda, ob ſenſibilitatem partis enim febris adeſt vehementiſſima, quam etiam non raro eadem, quæ Scroti inflammationem, ſymptomata ſequuntur. Raro abit in Sphacelum, & tunc unicum in exſtirpatione remedium conſtituendum. De abſceſſu ex ea generato ſciendum, quod, utut ſit difficillimæ curationis, non tamen teſticulus mox ſit auferendus, cum plura curatorum habeamus exempla absque violento hoc remedio, quod tanto magis valet, ubi materia ſaltem inter tunicam vaginalem eſt conſtituta: ubi vero non tantum ipſe teſticulus, ſed & epididymides ſimul affectæ, tunc ad caſtrationem tanquam ad unicum remedium eſt convolandum.

§. III.

Sarcocele, niſi ſtatim in initio morbi, raro aliquam per medicamenta curam admittit, ipſa mercurialia tam interne quam externe adhibita inertia nimis & minus efficacia ad vim morbi vincendam deprehenduntur. Malum ubi ſaltem in tunicis hæret, vel teſticulo excreſcentia quædam ſpongioſa adhæret, ſal-

ſalvis & incolumibus teſticulo, epididymide vel vaſis ſpermaticis, ibi per ſeparationem hujus excreſcentiæ malum adhuc tolli poteſt, aſt! hæc ubi affecta deprehenduntur, enſe reſecandum ne pars ſincera trahatur. Sed nec hoc ſemper multum ſolatii promittit ſed ſæpe nil aliud facit, quam ut mortem acceleret: Vbi enim cum Sarcocele tumor & ſcirrhus vaſorum deferentium eſt conjunctus, quod, ubi a gonorrhœa ſuppreſſa originem duxit, fere ſemper contingit, tunc caſtratio nunquam eſt ſuſcipienda, cujus rei ratio hæc exiſtit: Facta ſcilicet ligatura & abſciſſo funiculo vaſorum, fieri aliter non poteſt, quam ut inflammatio quædam eamque ſequens ſuppuratio accedat, qua accedente materia illa lymphatica, glutinoſa in vaſis contenta ſimul moveri atque ſuppurare incipit, quæ ſuppuratio tam diu continuat, donec ad ipſos abdominis muſculos pervenerit, id quod tanto citius contingit, ubi ex perverſa nonnullorum methodo ligatura fit vel prope annulos vel in ipſis. Quo facto muſculi ſimul ſuppurare, & abſceſſus ingentes formare ſolent, qui, cum febris nunquam deſit, ægrum ad tumulum usque comitantur. Garengeot in Chirurg. Tom. I. p. 263 putat hanc ſententiam ſaltem pronuntiandam eſſe eo in caſu, ubi ſcirrhus ad ipſos annulos pertigerit, quo præſente ipſe cum aliis exercitatis Practicis ſuadet, ut ab operatione abſtineatur, quanquam dein in tractatione caſtrationis ligaturam in annulo faciendam ſuadeat, quæ quomodo inter ſe conciliari, vel potius non conciliari poſſint, inferius diſpiciendum erit. Verum, nos dicimus, quod operatio non ſolum non ſit ſuſcipienda, ubi vaſa ad an-

nulos

nulos usque ſcirrhoſa ſunt, tunc enim plane locum non habet, ſed ne tunc quidem, quando magna earum pars materia quadam infarcta eſt, id quod partim ratio dictitat, partim experientia, qua edocemur nunquam tali in caſu tute ſuſcipi operationem ob ſuppurationem ſemper majorem & ad muſculos usque pergentem. Dilucidationis loco inſervit nervus ſuppuratione correptus, qui non prius ſuppurare deſinit, quam totus fuerit corruptus. Sarcocele in utroque latere contingens, præſertim ubi epididymides ſimul ſunt affectæ ob inpeditam ſeminis ſecretionem ſterilitatem inducit perpetuam.

§. IV.

Cirſocele inter omnes hernias modo recenſitas omnium eſt pertinaciſſima, omne remedii genus reſpuens. Remedia externa vel emollientia vel diſcutientia & tonica partim nimis ſunt inefficacia, partim vero materiam in motum ciendo vel, dum magis fibras conſtringunt, eam incarcerando malum adaugent. Illi, qui Cirſocele laborant, quam maxime ob noxii deprehenduntur hæmorrhoidibus potiſſimum externis, uti etiam mictui cruento, ex quo ultimo haud pauci Cirſocele affecti pereunt, quod duobus accidiſſe novimus. Cauſa hujus ſymptomatis ſine dubio quærenda eſt in connexione vaſorum nempe arteriarum ſpermaticarum, Iliacarum & inde propullulantium hypogaſtricarum, ubi enim ſanguis in corpore pampiniformi ſtagnans eundem per arterias advehendum retardat, tunc neceſſario, continuante ſemper pulſu cordis, major ejusdem quantitas ad vaſa vicina

propel-

propellitur, in quibus minor eſt vis reſiſtens, donec & hæc vaſa nimium diſtenta & tandem plane rupta vel in veſicam, vel in inteſtinum rectum ſanguinem effundant. Cirſocele in utroque latere contingens pariter ac Sarcocele ſterilitatem inducit. Operatio in hac non minus locum non habet ac in illa Sarcocele, ubi deferentia vaſa ſcirrhoſa ſunt, ob eandem rationem.

§. V.

Hydrocele, quæ a tardius ſaltem in his partibus progrediente ſanguine & inde ſecedente ſeroſitate atque ruptura vaſorum orta, remediis facile curatur præſertim in infantibus; Quæ vero cum ruptura vaſorum lymphaticorum, non niſi inſtituta operatione, quæ tamen admodum dubia adhuc exiſtit, ſánatur. Reliquæ ejusdem ſpecies nullam fere niſi palliativam admittunt medelam, quæ in punctura Scroti conſiſtit, a quo prognoſtico ſaltem exceptam volumus eam, quæ ab Anaſarca & aquis intra muſculos abdominis ſtagnantibus gignitur, quæ, curato morbo primario, facile poſtea obſecundat. Aliter plane ſentiendum de illa, quæ Aſcitis proles eſt, omnis quippe induſtria Medicorum cum adhuc in detegendo aliquo remedio, quod malum tam ferox compeſcere poſſet, in vanum deſudaverit, quid de hydrocele tanquam ejus producto vel ſperandum, vel timendum per ſe patet. Quæ a Sarcocele & Cirſocele non niſi iisdem ſublatis, tollitur, ſecus omnia in caſſum adhibentur: Cauſis enim præſentibus velle ut ſymptomata ceſſent, ſanæ rationi repugnat.

§. VI.

Varicocele cum non niſi ſanguinem abundantem, ſpiſſum, hæmorrhagias omiſſas pro cauſis agnoſcat, quæ omnes facile tolli poſſunt partim per ſubtractionem diætæ largioris & lautioris, partim per vitæ genus mobile & inſtitutas ſanguinis evacuationes vicarias facilem quoque, juncto præſertim externorm uſu, admittit medelam. Quid de ea, quæ ab Empl. Saponati Barbette uſu fuit procreata, ſentiendum ſit in anteccdenti cap. diximus.

§. VII.

Vt tandem hoc caput finiamus ad prognoſin Pnevmatoceles devoluimur, quæ brevibus in eo conſiſtit, quod, maxime in infantibus, per applicationem diſcutientium & carminativorum diſcutiatur, ubi vero hæc non ſufficit, ipſa Scroti punctura, juncto ſupra nominatorum remediorum uſu, exhibet remedium præſentiſſimum.

CAP. V.

ACcingimur tandem ad ipſam recenſitorum morborum curam, atque filum ſemel cœptæ orationis perſequendo, quid nobis auxilii contra puſtulas Scrotum infeſtantes medicina ſuggerat, trademus. Conſtat ex anteced. haſce puſtulas tantum non ſemper eſſe ſymptoma luis venereæ, omnia vero remedia irrita hic eſſe, niſi ipſa radix mali exſtirpetur. Nimis longum foret, totam hujus tam intricati morbi curam

curam addere, brevibus dico, quod unice auxilium ſit quærendum in juſto uſu ſanguinem purificantium decoctorum, cui ſalivatio per Mercurialia inſtituta accedat, hæc enim niſi ſubjungatur, omnia in caſſum adhibentur. Crepent alii Eſſentias antivenereas, crepent decocta, crepent Mercurios diaphoreticos, morbus hiſce nunquam tollitur, ſymptomata ſaltem ſopiuntur, quæ poſt breve vel longum etiam tempus longe redeunt graviora, hoſte in viſceribus graſſante. Interim cum multi ſalutaribus medicorum conſiliis obtemperare ſeque huic curæ ſubmittere nolint, utique ad decocta ſanguinem purificantia & laxationes cum Mercurio dulci confugiendum, quibus diæta conveniens jungenda. Externe adhiberi poſſunt oleum ovorũ, ceræ, Fl. Calendul. Verbaſci, addendo paululum olei Philoſophorum & Merc. præcip. rubri, ita enim non ſolum ardor & dolor, quibus hæ partes affliguntur, coërcetur, ſed & levi ſepſi & ſuppuratione partes mundificantur, quibus mundificatis conſolidatio ſequitur. Poteſt etiam ex ſupra dictis Fl., additis iisdem Hyperici, cum oleo ovorum præſtans balſamum parari, ſi vel digerantur cum hoc, vel ſuccus eorum cum hoc frixetur.

§. II.

Inflammatio Scroti & teſticulorum, cum eandem expoſcat medendi methodum, eorum etiam curam conjungam. Vbicunque ita vel Scrotum vel teſticulus Inflammatione affecta, ibi, præſertim quando inflammatio nondum perfecte eſt formata, vel ſub-

jectum plethoricum, convenit VSnem inſtituere, quæ etiam pro diverſitate circumſtantiarum ſemel vel bis reiterari poteſt: Vbi autem inflammatio jam perfecte formata, vel plane per aliquot jam dies ſubſtitit, ibi ea adhibita plus plerumque obeſt, quam prodeſt. Secta vena impetus febris eſt mitigandus, quem in finem Nitroſa, Cinnab. Abſorb. vel in pulvere vel in potionibus exhibita ſe commendant. Emulſiones quoque commode hic exhibentur quæ confici poſſunt ex Amygd. d. Pineis rec. excort. Sem. Papav. alb. Milii ☉is, Agni Caſti, Spermate Ceti & Vitello ovorum, junctis aquis congruis. Neque etiam laude ſua hoc in caſu defraudanda ſunt decocta quæ ex Rad. Malvæ, Alth. Lil. alb. Liquirit. Sem. Lini, Gumm. Arab. & Tragacanth. componuntur, quæ duo ultima etiam in cereviſia decoqui, vel in Electuar. redigi poſſunt atque ſæpe uſurpari, egregie dolores demulcent, & inflammationem febrimque placant. Jungantur his Clyſteres anodini, confecti ex Fl. Verbaſci, Samb. Chamom. V. Sem. Pſyl. Lini, Malv. Alth. Albo Græco, Sevo hircino, oleo ovor, aliisque oleis, quibus pro neceſſitate aliquid Theriacæ addi Poteſt. Parti ipſi applicetur, dolor ſcilicet ubi urget, Cataplasma, Gallis Cataplasme anodin dictum, quod conficitur ex Mica panis, Vitello ovorum, Croco, interdum addunt Mucilag. & Sperma Ceti, quæ in lacte coquuntur atque parti calida admoventur. Quotiescunque Cataplasma aufertur, Scrotum lavetur vino rubro, cui incocta ſunt Rad. Irid. Flor. Sigill. Solom. HB. Orig. Serpill. Sem. Fœnic. aliaque ad roborandum partes & ſanguinem diſcutiendum apta, ubi vero animad-

ver-

vertitur, hancce decoctionem partes magis irritare; præſtat easdem ſpecies in ▽. ſaltem coquere, partique applicare. His ſemper jungatur ſuſpenſorium, quod notiſſimum, quod non ſolum medicamenta continet, ſed & impedit, quo minus teſticulus inflam̄atus & mole auctus deorſum deſcendendo Scrotum extendat, vel vaſa trahendo ad inferiora dolorem augeat. Vbi inflammatio paulum mitigata, quod cognoſcitur ex ceſſatione doloris, febris, tumore imminuto & colore magis ad naturalem accedente; tunc laudatum decoctum cum vino rubro f:ctum denuo in uſum vocetur, cui Scrotum immittatur & per longum in eodem tempus relinquatur, quibus demum cura finiatur. Interdum fit, ut durities quædam in teſticulo & vaſis reſtet, cui mox obviam eundum Empl. reſolventibus, ut ſunt Emp. Vigon. cum duplo vel triplo Mercur. Diabotan, Diaſulph. Rulandi aliaque, quibus per aliquod tempus geſtatis, ſi nullus effectus ſequitur, ad balnea, & Suffimigia confugiendum, non omiſſo horum Empl. uſu. Balnea & ſuffimigia, quomdo ſint adornanda, inferius dicetur.

§. III.

Vbi, adhibitis licet generoſiſſimis remediis, Scrotum nihilo tamen minus ſphacelo corripitur, tunc nil aliud agendum, quam ut ipſa pars affecta, quam cito fieri poteſt, a ſana ſeparetur; Nulla enim ſpes reſtat putredini invaleſcenti per remedia obviam eundi, cum hæc pars omnia paulo acriora & calidiora reſpuat. Ne itaque Medicus & operam & tempus perdat, præſtat ſtatim ſeparationi partis affectæ

 a ſa-

a ſana omnem curam intendere. Quod dum facit, ſollicite abſtineat a ſepticis fortioribus, ut ſunt Lapis infernalis, Butyrum Antim. Arſenicum, ▽ Phagædenica, aliaque hujus furfuris remedia, de quibus jam Hildanus monuit, quod nunquam in parte tendinea ſeu multis nervis gaudente ſint adhibenda. Valet hoc maxime de ultimis duobus, quippe quæ, utut ſeptica ſint potentiſſima, nunquam a Viro honeſto adhibentur, qui cognovit, eadem triſtiſſima non ſolum ſymptomata ſæpe inducere, ſed & maſſæ ſanguineæ ſe inſinuando, febres lentas cum morte ſubſequente procreare. Ipſa quoque ſcarifiatio & inciſio caute inſtituenda, præſertim ubi ſphacelus a punctura Scroti intempeſtive inſtituta originem duxit, tunc enim, uti & in tumoribus œdematoſis, ſemper noxia, nunquam vero proficua eſt cenſenda. Quæ comodiſſime hic adhiberi poſſunt remedia, ſunt ▽ Calc. Viv. Tinct. ♉ii cum Calc Viv. vel etiam ex ejus Reg. parata Vngt. Ægypt. quod ultimum Dn. Lemaire tanquam egregium deprædicat remedium, maxime ubi cum ſuppurantibus maritatum, e. gr Tinct. mellis, Balſ. Arcæi atque Therebinth. ſine his enim effectum ejus languidiorem deprehendit. Simile de Tinct. ♉ii obſervavit Cl. Dn. D. Coſchvvizius, Præceptor mihi Honoratiſſimus. Dicta remedia, ſi legitime adhibentur, brevi partem corruptam ſeparant, quo facto lenia ſuppurantia & tandem conſolidantia ac cicatricem obducentia curam finient.

§. IV.

In ſphacelo teſticuli unicum auxilium conſiſtit in ipſius exſtirpatione, quæ vulgo caſtratio vocatur.

tur. Quomodo autem ea ſit perpetranda, inferius explicabitur. Quando inflammatio teſticuli in abſceſſum ſeu Herniam humoralem degenerat, ſuadente Garengeot, non ſtatim ad teſticuli amputationem deveniendum, ſed teſticulus, maxime ubi epididymides labem non contraxerunt, ſecundum totam longitudinem aperiendus, atque exitu materiæ dato, ſuppurantibus tractandus, non omiſſis Empl. reſolventibus & fundentibus, qua methodo plures a Domino Petit & Arnaud teſticulos eſſe ſervatos aſſerit. Quando malum his remediis non obſecundat, ad exſtirpationem, tanquam ad ſacram Anchoram, eſt convolandum.

§. V.

Quo vero modum teſticulum amputandi exhibeam, ad curam Sarcoceles progrediar, quæ omnium frequentiſſime hanc operationem efflagitat. In mentem hic nobis revocandum, duas eſſe ſpecies Sarcoceles, quarum prima conſiſtit in excreſcentia ſpongioſa, ſalvis teſticulo & epididymidibus, ſecunda vero in tumore ipſius teſticuli, qui vel cum, vel ſine tumore vaſorum deferentium. In prima amputatio non ſolum inutilis, ſed plane inepta, cum ſeparatio maſſæ a teſticulo, applicatio lenium ſuppurantiũ & Empl reſolventium ſufficiat. Secunda ſpecies eaque quæ ſine tumore vaſorum eſt deferentium, uti ex prognoſi patet, vix ullam per medicamenta admittit curam. Interim cum ſemper a lenioribus ſit incipiendum, antequam ad operationem accedat Medicus & Chirurgus, optime utiqne faciet, ſi illa, quæ

a Vi-

a Viro Excell. Frider. Hoffmanno l. c. commendata ſunt, in uſum vocet, & ubi a gonorrhœa ſuppreſſa fuit prognata, ipſam Salivationem inſtituat. Eodem in loco quoq; inveniet, quomodo ſuffimigia humida ſint adornanda, quibus ſpeciebus, potiſſimum, ubi decoctio cum vino facta fuerit, ſcoriæ Reg ♁ii addi poſſunt, dici enim vix poteſt, quantum hic conducant. Suffimigia ſicca ex Gum. & maxime Cinab. conficiantur, cujus tamen circumſpectus eſſe debet uſus. Omnia hæc ſi irrita ſunt, ſola operatio reſtat, quæ ſequenti modo perpetratur: Æger ſupinus collocetur in lecto, & a quatuor miniſtris manibus pedibusque firmiter teneatur, atque teſticulo, ne lædatur, paulum remoto, cute quoque prehenſa & elevata pauliſper, eadem ſcalpello incidatur & forfice ita dilatetur, ut Scrotum ſecundum univerſam ſui longitudinem aperiatur. Pinguedo poſtea cultello obtuſo, quem Galli dechauſſoir vocant, removetur, &, prius examinato funiculo vaſorum, annon forſan vel Omentum vel Inteſtina in eodem contineantur, quod memori mente tenendum, ipſe teſticulus manibus a Scroto ſeparatur, ne vaſa quæ ſeptum perreptant, copioſa dilacerentur Quibus ita geſtis, teſticulus e Scroto extrahitur, & ligatura funiculo vaſorum injicitur digito tranſverſo infra annulum muſculi oblique deſcendentis, circumvolvendo antea fruſtum lintei, filumq; poſtea fortiter conſtringitur & aliquoties circumducitur, tandemque relicto ſpatio unius & dimidii digiti a ligatura teſticulus amputatur, ne, prima decidente ligatura, locus aliam faciendi deficiat. Garengeot in Chirurg. ubi de caſtratione agit, tanquam peculiarem

rem enchireſin venditat inciſionem annuli externi; quo in loco etiam auctor eſt, ut ligatura vel prope annulum, vel in annulo ipſo fiat. Rationem, cur annulus ſit incidendus, hanc allegat, quod ab annulo plerumque vaſa comprimantur, a qua compreſſione inflammatio & febris oriatur: Aſt cum conſtet laudatum Auctorem Ipſum dehortari a caſtratione, ubi vaſa ad annulos usque ſcirrhoſa ſunt, utique hæc tunc cautela irrita fit; ubi vero vaſa naturaliter ſunt conſtituta, ibi compreſſionem ab annulo ſtatuere abſonum fit, hanc enchireſin tanquam inutilem rejicimus, imo tanquam plane noxiam, quippe bubonocele generandæ occaſionem dare poteſt illo, qui maxime inteſtinis & omento exitum affectantibus viam præcludit, annulo inciſo. Conatur forſan id impedire per ligaturam, quam vel in loco annuli, vel paulo ſupra annulum faciendam ſuadet, quod tamen conſilium tanquam periculoſum pariter atque ineptum damnamus. Vt taceamus, ipſam rationem, quæ in bubonocele eam prope annulum faciendam ſuadet, hic ceſſare, valde tamen veremur, ne ligatura tam alte facta & leni ſuppuratione accedente ipſi mox muſculi corripantur eadem, atque ita producatur, id quod inciſione annuli evitare volebat, vel ob quod antea operationem plane omittendam eſſe dixerat. Peracta operatione eo, quem tradidimus, modo, infra & ſupra funiculum vaſorum ſpermaticorum, uti etiam toti Scroto plumaceoli adſtringentes, vel ſaltem lintea ſicca & diſcerpta applicentur, ſequentibus diebus pars, uti in reliquis vulneribus fieri ſolet, tractanda, ſuperimpoſitis ſpleniis

 trian-

triangularibus, quæ faſcia notiſſima, ſpica dicta, firmantur, in cujus applicatione id unice obſervandum, ut femur ſit flexum, quo eo extenſo illa magis firmetur.

§. IV.

Cirſocele, cum ſecundum prognoſin noſtram nullam per remedia admittat curam, caſtratio vero potius noxia, quam proficua ſit, nullam quoque ejus curam tradere poſſumus, cum morbo per ſe inſanabili curam ſcribere abſonum ſit. Varicocele e contrario cum facile poſſit curari, in ea quid faciendum ſit, dicemus. Vbicunque ita Varicocele in ſubjecto plethorico, ſenili, hæmorrhoidibus antea, vel etiam ventilationibus ſanguinis artificialibus aſſueto occurrit, ibi optimum & præſtantiſſimum conſtituit remedium VSio, præſertim in pede inſtituta, uti etiam applicatio ipſarum hirudinum ad anum, quæ malum egregie ſublevant; inſtituto ſimul vitæ regimine conveniente. Parti porro applicari poſſunt diſcutientia, ut ſunt ſpecies illæ, quas ſupra vino decoquendas recenſuimus, additis HBis coronariis, &, quo vis diſcutiens augeatur, pauco ⊖Xci. Emplaſtrū ſi uſurpare placet Empl. de Galbano, ⊖Xco, & Saponatū, Barbette in auxilium vocentur: Vltimum vero maxime, quando ab ejus applicatione in lumbis orta eſt Variocele. Hæc niſi ſufficiant, ad fortiora adſtringentia confugiendum, qualia ſunt ▽ Calc. Viv. ▽ Stiptic. Lemery, ∼ ✝ti. & ℣ mixti, quæ ſingula cum plamaceolis applicita, ut in varicibus gravidarum, ita quoque hic effectum haud contemnendum

edunt

edunt. Lapis quidam Martialis, Gallis La Pierre d'Avergne dictus, laudem quoque hic maximam meretur. Hæc ubi ſufficientia haud fuerint, Scarificatio in Scroto inſtituatur, quo ſanguis ſtagnans im̃ediate evacuetur, cui apertio ipſarum venarum jungi poteſt, non omiſſis tonicis & diſcutientibus modo laudatis. In Varicocele infantum raro ad hæc deveniendum, tonica quippe & diſcutientia plerumque morbum expellunt.

§. VI.

Hydroceles cura eſt vel pallativa, vel radicalis, quæ ultima, iterum vel medicamentorum, vel manuum & inſtrumentorum applicatione perficitur. Palliativam requirit illa, quæ ab Aſcite generatur, uti etiam illa quæ a Cirſocele & Sarcocele, maxime cum tumore vaſorum deferentium. Perpetratur hæc cura evacuatione aquarum e Scroto, eaque repetita, quæ operatio punctura Scroti appellatur, geſtato ſimul ſuſpenſorio, ne moles aquarum Scrotum nimium diſtendat. Suadent nonnulli, ut Setaceum, vel etiam Cauterium potentiale adhibeatur pro evacuandis aquis: Sed, cum hæc partim nimis lentum edant effectum, partim quoque inflammationem non raro Scroti eryſipelaceam producant, quæ facile in ſphacelum degenerat, longe mihi præferenda videtur inciſio acu tricuſpidi, troiſcart, ſeu ſcalpello, quem biſtouri Galli vocant, facta. Accedit & hoc, quod Setaceum non niſi ubi aquæ in Scroto ſtabulantur, adhiberi poſſit, & Cauterium eſcharam ſaltem inducendo, tamen adhuc inciſionem cum cultro expoſcat,

 quo

quo, ſi inſtrumento utitur Chirugus ſuperſedere poteſt. Scarificationes, quas nonnulli commendant, majorem haud merentur laudem, cum, præterquam quod nil niſi aquas intra cutim ſtagnantes evacuant, ſæpe gangrænam & ſphacelum inducant. Perpetratur itaque commodiſſime operatio punctura Scroti, & quidem ſequenti modo: Chirurgus, deraſis prius pilis, Scrotum manu prehendat, & probe remoto ad ſuperiora teſticulo, aquis vero deorſum compreſſis, id acu tricuſpidali, paulo minori, quam quæ in paracenteſi abdominis adhiberi ſolet, perforet, quæ pertuſio commode a latere inſtituitur, vitando ſemper, quantum pote, ſuturam, ob inſignem copiam vaſorum. Acus poſtea retrahitur atque omnis aqua in Scroto contenta per cannulam ibi relictam ſimul ſemelque evacuatur. Vbi materia contenta viſcoſa, cutis vero craſſa & dura exiſtit, nonnulli Scrotum ſcalpello aperiunt, verentes, ne nimium urgendo acum, teſticulum lædant, quod, ſi ſcalpellum adhibetur, non timendum. Aquis demum omnibus evacuatis, cannula retrahitur, & mediante ſuſpenſorio medicamenta quædam tonica diſcutientia parti applicantur: Redeuntibus vero aquis, punctura denuo inſtituenda. Nuckius Obſerv Chirurg. XXXVIII. dicit, ſe noviſſe quosdam, in quibus operatio ſingulis annis, idque cum ſolamine ægrorum, inſtituatur. Quæ curam per medicamenta admittit hydrocele, eſt maxime illa infantum, idem quæ a Varicocele, hæ enim, præmiſſis purgantibus, diureticis & diaphoreticis applicatione tonicorum & diſcutientium jam antea dictorum ſæpe curatur. Quæ ab Ana-

Anaſarca pariter atque antecedentes, ſublato morbo primario, medicamentis obſecundat: Quæ vero a ruptura vaſorum lymphaticorum aliam plane requirit medendi methodum, quæ in eo conſiſtit, ut Scrotum quod ad totam ſui longitudinem aperiatur, diverſis in locis ſcarificetur, atque Therebinth. Cocta, Colophon. Maſtix aliaque, quæ ſuppurantia ſicca vocantur, applicentur, quo, mediante ſuppuratione & cicatriſatione vaſa lymphatica conſtringantur. Hæc eſt cura ſic dicta radicalis, quo Galli hodie ſæpe utuntur, atque hanc hydrocelen curare prætendunt, quæ tamen multas ob rationes, quas quilibet facile prævidet, minime ſufficiens mihi videtur. Vtuntur etiam nonnulli eadem, ubi aquæ ex abdomine deſcendunt. qui peritonæi ſuppurationem procurant, qua proceſſus conſtringi, ſibi & aliis perſuadent; Sed quam irritum hoc ſit cœptum herniæ redeuntes hoc modo tractatæ ſatis, vel me tacente, loquuntur.

§. V.

Vt tandem tractationi noſtræ Colophonem imponamus, ad Pnevmatoceles curam omnium faciliimam properamus. Perpetratur illa applicatione adſtringentium & diſcutientium ad Scrotum, quem in finem commode ſupra laudatæ Rad. & HB. in vino rubro coctæ adhiberi poſſunt, vel etiam ſequentes: ℞. Rad. Caryophil. Torment aa. ℥ß. HB. Meliſ. Agrim. Chærefol. aa. Mß. Fl. Lavend. Roſar. rubr. Bauſtr. aa. pij Sem. Nig. ʒiij, Aniſi ʒiß. Con. D. S. Species quæ in vino rubric. coquantur & Scroto applicentur.

tur. Suffimigia non minus hic in uſum trahantur, quæ concinnentur ex Maſtich. Tacamah. Sandar. Benz. & Cinnab. Hæc ſi rite adhibentur, nullus dubito, quin malum ſit ceſſurum, ſin minus Scrotum punctura aperiendum, flatibusque emiſſis, jam nominatis ſpec iebus eſtcorroborandum. In cibo potuque flatulenta quovis modo ſunt evitanda.

Hæc ſunt, quæ B. L. in hac Diſſertatione Inaugurali exhibere conſtitui. Multa hinc inde addi potuiſſent, ſi præſens propoſitum id permiſiſſet, quod erat, Diſſertationem, non Librum conſcribendi. In dictis nunc acquieſco, atque a Te, B. L, quos hinc inde invenies errores, amice ut emendes, peto.

DEO T. O. M. pro conceſſis ad hos labores viribus gratias perſolvo devotiſſimas.

FINIS.